

34  
 get. (9.) S. Ministerium contemnit, non verò debito modo colit. (10.) Ecclesiam & Scholas non ædificat, sed funditus destruit. (11.) Christum Salvatorem mundi, nec ratione personæ, nec ratione officii, juxta Verbum DEi, proponit, sed hæreticas & profanas de illo sententias tradit. (12.) Articulum de creatione fanaticis inventis prorsus pervertit. (13.) Deniq; è lingvarum sacrarum nominibus mysteria extrahit, sed longè ineptissime. Unde à nullo pio & prudente suscipi potest, nec foveri, sine summo salutis æternæ periculo, nedum ab iis, qui fontes SS. literarum gustant, & sanè gaudent ratione, probari, sed si salutis suæ consulere velint, reprobanda est, revocanda, & detestanda, & quod ad ineptias circa nomina sacra, deridenda.

## QVOD AD PRIMUM.

**Q**uod nempe Secta talis non Spiritum S. sed malignum spiritum, mendacii patrem, autorem habeat, ex hisce liquet: (1.) Quia Spiritus Sanctus in Scripturis loquitur. Hic verò spiritus non loquitur Scripturas, sed abducit à Scripturis, & τὰ ἴδια profert ac propugnat. Nul- lum enim dogma suum è Scripturis probat: è quibus ne dictum quidem aliquod dextrè allegat, aut si ad Scripturam omninò provocet, perversum sensum καὶ ἴδιαν ἐπίλυσιν dictis Scripturæ ipsis inducit, uti omnia hominis scripta testantur. (II.) Neque verisimile est, eum, qui Scripturam S. nunquam scrutatus sedulo est, ac ne quidem τὴν ὑποῦσιν καὶ τῶν ὑγιαίνοντων λόγων cognovit, è Scripturis sua haus- sisse, nedum qui ad alia principia fidei alios revocat, quàm ad unicum illud fidei principium, sacras nempe literas; nimirum ad lumen naturæ, & ad tria sua principia, quæ hæc declaravit ad finem tractatus, sub titulo, *Erklärung etli- cher*